



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Hvgo Ex Baronibvs A Rosenneck Abbas Heremitarvm XXIX. Princeps  
Imperii Dvodecimvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



HUGO EX BARO-  
NIBVS A ROSENNECK

ABBAS HEREMITARVM

XXIX. PRINCEPS IMPERII

DVODECIMVS.

**H**AVT ignarus HUGO quantum laboris, quantum molestiæ exhauriendum sibi esset, reparandis, & in pristinum statum restituendis Monasterij rebus, per Ludouici fastum, & prodigalitatem absumentis, & laceratis, disciplinaque eiusdem incuria, & coniuentia dissoluta, & ad Principis exemplum, omnibus pene in deteriora prolapsis, quo firmior, & aduersus contumaces, aut inficiatores constantior esset, fœdus & amicitiam cum Tigurinis fecit duraturam, quãdiu ipsi vita

ab ijsque



ab ijsque in ciuium numerum cum suo Monasterio recipi optauit, & facile obtinuit. Hinc ad statum monasterij restituendum cum cura animum intendit, Ioanni Comiti Habsburgio, Lauffenbergæ Domino, Castrum Kienberg cum eius omni iurisdictione in beneficium concessit, quod se Comes cum fide, & cura habiturum scripto promisit, anno eius seculi quarto, festo die D. Ioannis Baptistæ. Kienberg arx est, baronum eius nominis sedes, haut procul Iurasso, eo loco, vbi Schachmat vocatur, ditionis nunc Salodorensium. Vbi barones defecere, ad Heremitas, quorum beneficium erat, peruenit, qui conditione fiduciaria varijs postea commiserunt. Eo anno post Bonifacium IX. creatus Romæ, festo Lucie, Innocentius VIII. contra Benedictum XIII. qui præsedebat annos duos. Anno sequenti, obsedit Fridericus Austriae, aduocatus noster, opidum S. Galli, abbati contra opidanos auxilium ferens, sed obsidionem breui deseruit. Abbatiscellani, eodem tempore, latè Austriacas ditiones populati sunt. Marchiam etiam mediam, cuius Lache vicus caput est armis occuparunt, Suijsque, qui auxiliares manus subinde submittebant, dono dederunt, pleraque in ea nostra beneficia. Anno sexto, defuncto Innocentio, contra Benedictum eundem, creatus Romæ pontifex Gregorius XI. qui annos VIII. menses VIII. Romanam sedem obtinuit. Anno septimo, cum multa per Turgouiam castella, & arces Abbatiscellani cum Glaronensibus, & Suijs eorum socijs, euertissent, postremo apud Constantiam, quia eius episcopus excommunicauerat, multasque graues in eos censuras publicauerat, confedere triduoque ante mœnia castris habitis, cum nemo, qui contra tendere vellet progrediretur, vicinos diripuerunt, magna insolentia, & arrogantia vndique populabundi. Denique Brigantium Gulielmi Montis fortis opidum omnibus copijs obsederunt XIV. Kalend. Decembres. Parauerat exercitum contra eos Marquardus episcopus, nobilitatemque Sueuiæ ad compescendam superbiam, & ignominiam refellendam accenderat, eo maxime quod per impotentiam animi sparserant vulgò Abbatiscella-

A. D. N.

CIX. CD.

VII.

A. D. N.

CIX. CD.

V.

A. D. N.

CIX. CD.

VI.

A. D. N.

CIX. CD.

VII.

ni, si Bri-



A. D. N.

C10. CD.  
VIII.

ni, si Brigantio potiantur, nobilitatem totius Sueviæ exterminaturos. At ipsum mors antequam destinatam expeditionem capesseret, paucis ante Christi natalitia diebus, pro-  
perata absumsit, magnæ virtutis & dignationis Antillitem. Nam etiam Patriarcharum Aquileiæ rexerat, insigni-  
que apud omnes principes auctoritate vixerat. Igitur anno sequenti incunte, continuo de novo episcopo instituendo  
his rerum turbis, & periculis Canonici consularunt, que-  
sitisque suffragijs Albertum Blarerum præpositum, episco-  
pum dixere. Is antecessoris sui vestigia secutus, magnas con-  
tinuo copias comparavit, ciuibusque ad arma vocatis, cum  
proxima nobilitate, Rudolfo imprimis Montfortio, & Sue-  
viæ societate D. Georgij titulo per ea tempora insigni, du-  
xit in Abbatiscellanos non jam hebdomadam per acerbissima  
frigora Brigantium pertinaciter adsidentes, primaque  
luce, quæ D. Hilario sacra erat, in hostem inuectus, facile  
profligavit, magnamque partem cecidit, arma impedi-  
menta, castra eorum in potestatem redegit. Brigantium,  
& in eo Gulielmum Comitem obsidione liberavit. Non  
tamen dubium erat, quin ultra bellum progressurum esset,  
nisi maiestatem suam interposuisset rex Rupertus. Is paul-  
lò post pugnam Constantiam profectus, Abbatiscellanos de-  
bita præstare abbati suo, pacem cum nobilitate habere ius-  
sit, inducias cum Austriaca domo. Abbas Hugo hac com-  
ditate usus, & præsentis Cæsaris opportunitate, Constantiam  
quoque vectus ab Ruperto non modo antiquorum regalium, &  
immunitatum, donationumque, quas præcedentes reges Im-  
peratores, principes fecerant, confirmationem impetrauit,  
sed etiam Venceslai de proscriptis impunè recipiendis privile-  
gij novam sanctionem, quam eo magis viderat Abbas, quia  
Venceslai alias decreta, & privilegia abrogata compertum ha-  
bebat. Acta hæc Constantiæ, feria quarta ante Dominicam Re-  
miniscere. regni anno octavo. Habuerat præteriti Heremita-  
rum abbates varias iam à multis retrò seculis cum Tuginis  
maximè contentiones. Nam in Tuginorum regione non solum  
multos redditus, census, jura possidebant, sed etiam mancipia

plura,



plura maxime Metzingeræ, & Aegri. At illi, posteaquã in fœderis societate cū alijs Cōmunitatibus recepti sunt, alia partim negitare, alia detrectare cæperūt, prorsus omnes abbatū de se querellas, & expostulationes, contēnere, & despiciatui habere. Igitur Hugo Tigurinorū postremò auxiliū petijt, & æquitatis, & ciuitatis cōmunis iure ab iniurijs se Tuginorum vindicarent postulauit. Tigurini post diuersos cū Tuginis tractat<sup>o</sup> eos deniq; perduxerūt, vt cōpromiserint rata, & perpetua futura quæ de vtriusq; partis cōtrouersijs pronūciauissent. Id ipsum etiã, abbas Hugo, & Valterus ex boronibus ab Ende custos, totius Capituli nomine sunt polliciti. Cōuentu igitur apud Heremū factò, anno post quadringentesimū nono, Martio incunte, sententiã publicarūt Tigurini, vndecimo eiusdē mensis, quæ de omnibus vtrimq; dubijs, & discordantibus definijt, de hæreditatibus, mancipijs, censibus, percussionibus, vulneribus, pœnis, alijs, pacemq; & concordiam inter partes conciliarunt. Et continuo ad huc schismate premebatur, lacerabaturque Ecclesia DE I, neque pontifices Gregorius & Benedictus cōuenire inter se poterant, hic quoque alterius vitæ insidiabatur. Cardinales eam maxime ob causam Pisas Concilium indixerunt, multis vtrimq; exagitatis, abdicato vtroque pontifice, Ecclesiæ vniuersæ præesse iusserunt Alexandrum v. egregiæ sanctitatis, & in pauperes benignitatis Antistitem. Vnde eius sæpius repetitus jocus, diuitem se fuisse episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum pontificem. Sed cum fine anni eiusdem Bononiæ Alexander decessisset, & Gregorius Ariminum se ad Carolum Malatestam cum familiaribus aulæ transtulisset; Cardinales, anno decimo, in Alexandri locum Ioannem xxiii. pontificem nominassent, eodem in statu turbido, & incerto ad Constantiensem vsque Concilium res Ecclesiæ permansere. Eodem anno, decessit etiam Rupertus Cæsar. Resuscitata tum Venceslao redeundi ad imperij dignitatē aliqua fiducia, sed Electores eum perosi Iodocum Morauix marchio-nē Venceslai patruelē Cæsarē salutarunt: postea Iodoco intra mensem extū defuncto, Sigismundum Hungariæ regē eius-

A. D. X.

CIC. CD.  
IX.

A. D. N.

CIC. CD.  
X.



dem Venceflai fratrem, qui cum laude, & Reip. Christianæ bono imperavit annos xxvii. Orta sub hæc inter Episcopum Constantiensem, & Tigurinos contentio, & mox bellū, popularuntq; Tigurini quidquid Episcopatus fuit, Tannecum vsq; : rursus Constantienses nōnullas Tigurinorū arces euerterunt. Sed breui in concordiam redierunt, cōpromisso in Hermānum nobilem à Braitelandeberg factō. Anno vndecimo ineunte, abdicauit episcopatū Albertus, lectusq; in eius locū iv. Nonas Februarij Otho iii. ex Marchionibus Hochbergæ. Qui præfuit annos xxi. Auſtumno sequenti, dedit abbas Hugo Othoni Comiti à Thierstein castrum Kienberg cum omni iurisdictione, quod Ioānes Comes Habsburgi & Laufenbergæ dominus vltimus eius stirpis tenuerat, qui promisit se eius beneficij nomine promptum, fidelem, & obsequentem abbati futurū scripto edito pridie Natiuitatis DEIPARÆ. Anno sequenti, quia jam inter Austriacos, & Confederatos quædā contentiosa inciderant, metu ne inde ad bellū rediretur, foedus, & amicitia quinquaginta annorum fecerunt inter se, Badæ conuentu eā ob rem factō præſente Friderico duce. Literæ ibidē factæ datæq; v. Kal. Mai. Sigismundus Cæſar interim deſiderio, & cura cōponendæ in Vnitatem rei Ecclesiæ, durante inter tres pontifices Ioannem, Benedictum, Gregorium, summo rei Christianæ ludibrio, contentione, in Italiam tandem, anno tertio decimo, profectus Laudæ Pompeiæ cum Ioanne colloquium habuit, multisq; rationibus perduxit, vt Conciliū generale, cui ipſemet præſideret, Constantiam indixerit. Publicatio Laudæ facta v. Idus Decemb. Pontificatus eius anno i v. Concilij principio Kalend. Nouembris anni in sequentis decretæ. Et is totus in apparatu pene consumtus. Sigismundus cum multa contra Philip-pum Mediolani ducem frustra tētasset, per Augustanam vallem, & Peninum in Heluetiam mense Iunio, descendit. Friburgum, Pernam, Salodorum transijt, inde Basileam vectus, & Rheno secundo, Coloniā, postremo Aquisgranum peruenit, vbi Coronationē peregit. Ioānes pontifex, eodē tempore, Constantiam misit Ioānem Cardinalem Ostiæ episcopū, qui

pridie

A. D. X.

CIX. CD.  
XI.

A. D. N.

CIX. CD.  
XII.

A. D. X.

CIX. CD.  
XIII.

A. D. N.

CIX. CD.  
XIV.



pridie Idus Augusti urbem ingressus palatium episcopi pro  
 pontifice parare cepit. Illum secuti pene in dies singulos  
 Cardinalium, Episcoporum, antistitum, regum quoque & prin-  
 cipum legatorum ministri ad capienda diuersoria & necessa-  
 rijs comparandis. Eo quoque Abbas destinavit, qui hospi-  
 tium conduceret. Tandem vi. Kal. Nouembris Creutzlin-  
 gam Ioannes pontifex ductu, & præsidio Friderici Austriæ du-  
 cis delatus est. Inde die sequenti, cum inter diuina eiusdem  
 dici officia Erhardum Linde mitra redimisset, & ex monaste-  
 rij Præosito abbatem pronunciaisset, vespera jam inclinante,  
 Constantiam ingressus, magno Cardinalium, episcoporum,  
 abbatum comitatu, in quibus fuit cum equis quatuordecim  
 abbas Hugo. Quarto post die omnium sanctorum cultui, &  
 deuotioni consecrata Constantiam etiã peruenit, fide publi-  
 ca Cæsaris, Ioannes Hus, cum nonnullis Bohemiæ & Morauie  
 nobilibus, sectatoribus, & amicis. Octauo Idus Nouemb.  
 supplicationem frequentem instituit, obiuitque Ioannes pon-  
 tif. felicem Concilij euentum precatus. Interfuerunt Car-  
 dinales quindecim, episcopi, & abbates mitrati tres & vigin-  
 ti super alios quibus mitræ vsus non erat, omnes habitu &  
 cultu candido, & sacrificali. Sigismundus, peracta v. Idus  
 eiusdem mensis Aquisgrani coronatione, Constantiam quo-  
 que acceleravit. Iisdem diebus fœdus perpetuum cum  
 Suijjs fecerant Heremi incolæ, montanos, & siluestres  
 adpellant, quia Heremi montes, & siluas habent, consen-  
 tiente, & adprobante, tamquam principe, & Heremi domi-  
 no, Hugone abbate. Exceperunt iidem Incolæ omnia  
 iura quibus abbati, & monasterio Heremitarum teneban-  
 tur, quæ facta, & inuiolata conseruatuos Suijij promise-  
 re, die Dominica post diem festum D. Martini. Pridie Na-  
 talis Domini tandem Vberlingam adpulit cum multa no-  
 bilitate, & feminarum illustrium comitatu rex Sigismundus,  
 eademque celeritate Constantiam trajecit, diuinisq; sacra-  
 tissimæ noctis officijs interfuit, & Euangelium, Exijt edi-  
 ctum à Cæsare Augusto, habitu diaconi, cantauit. Quarto

A. D. N.  
 1515. CD.  
 XV.



one episcoporum, & antistitum, petentibus Danis, Suedis, & Nortuegis, vitam eius in contaminatam, & multis miraculis illustrem cum multis testibus adprobauissent, retulit in numerum sanctorum Ioannes pontifex reginam Brigitam. Ceterum, multis iam ex toto orbe Christiano Cardinalibus, antistitibus, Doctoribusq; presentibus, optimum factu iudicauere patres, & vnitati Ecclesie maxime conueniens, si omnes tres, qui de dignitate contendebant, sponte eam abdicauissent, & eligendi de cetero Concilio potestatem reliquissent, siue ex iisdem vnum, aut quemcumque alium nominare placuisset. Id cum Ioannes haut respiciet, ratus sua promptitudine, & obedientia, vt de nouo eligatur, meritum, pontificatum vltro exiit, v. Nonas Martias, ea tamen conditione, vt dignitatem nihil ominus tantisper retineret, donec ceteri quoque duo pontifices eandem pariter deposuissent. Sed facti cum huius mox pœnituit, maximè postquam duos absentes pontifices tantum per legatos agere apud Concilium, & pene pari secum esse auctoritate cognouit. Itaque Friderico Austriaco in cuius fidem, & protectionem se ab initio tradiderat, multis precibus, rationibus, & promissis persuasit, vt se in arcem, aut Urbem quamcumque è suis vellet, abduceret, euasitque Constantia habitu simulato xiiii. Kal. Aprilis per Schaffhausiam, mox Lauffenbergam, postremo Brisiacum munitissimū Elsatia opidum. Quæ vbi ad Sigismundum regem perlata sunt ingenti incensus cura, & aduersus Fridericum indignatione, & ira, habito confestim patrum, & principum omnium consilio, primo ad causam dicendam Fridericum citauit, haut secus atq; patres pontificem Ioannem. Postea cum facti sui rationes reddidisset, ducem proscripsit, eius ditio- nes, & Dominia, iuraque omnia sibi, & Imperio confiscauit, denique ad arma contra eum sumenda omnes, seuerissimo edicto, sollicitauit, & impulit. Facto mox iusto ipse exercitu in Hegouiam, & Turgouiam duxit, vtramque breui suæ potestatis fecit: cetera, quæ in Heluetia, & Argouia Austriacæ dominationis erant, vt Confederati suo, & Impe-

rij nomi-



rij nomine occuparent, non obstante quam cum Friderico habebant quinquaginta annorum pace, facile persuasit, paucisque diebus cum etiam Ludouicus Palatinus Rheni Elfatiam & Sequanos subegisset, & nemo omnino resisteret, aut pro Friderico arma caperet, omnibus ditionibus pene Ducem exiit. Quæ vniuersa vt inopinata Friderico acciderunt, vt pote qui suis subditis, & tot suis beneficijs, & maiorum suorum obnoxia nobilitati maiorem fidem habuerat, quam experiretur, ita eum vehementer perturbarunt, dubiumq;, & incertum fecerunt, caperetne vel sero arma, an ab Sigismundo & Concilio facti veniam postularet. Præualuit postremo hæc sententia, maximè posteaquã eum Friburgum quo cum Ioanne, relicto Brisia, aufugerat, Ludouicus dux Bauariæ accessit, pluribusq; rationibus author fuit, vt se, suaque omnia Sigismundo permitteret, & Ioannem Concilio. Fore enim vt breui in ciuitates & omnes ditiones restitueretur, & vtrumq; futurum extra vitæ periculum. Igitur Constantiam Fridericus profectus, Cæsaris se & quidquid supererat suæ ditionis in potestatem tradidit Nonis Mai, præsentibus multis Germaniæ & Italiæ vtriusque ordinis primoribus, Ioannem intra paucos dies repræsentaturum promisit, præstititque. Et Ioannes quidem varijs criminibus accusatus damnatusque v. kalend. Iunij, pontificia quoque dignitate priuatus est sels. xii. Mox Sigismundo commissus qui arce Gotliebe infra Constantiam inclusit, postremo Ludouico Palatino Rheni custodiendum tradidit, à quo Heidelbergam transportatus, & in castrum Manheim munitissimè abditus, pene illic triennium delituit, donec inde fraude, vt plerique tradidere, elapsus, Martino post pontifici se dederet, veniamque ab eo non modo impetraret, sed etiam Cardinalatum. Exuto vt diximus Ioanne supererant Benedictus, & Gregorius. Sed hic haut multo post sponte etiã pontificatū abdicauit, seq; in Concilij voluntate futurum spondit i. v. Nonas Iulij, Sessione x. Citatus tum denique Benedictus, & intra diem decimum comparere iussus, nisi faciat pro hæretico damnandus. Non minus inter ea temporis cum



Ioanne Hussio tractabatur, vt hæresi, quam prædicabat, abjurata, Concilij, & Ecclesiæ decretis acquiesceret, eaque vt vera, sanctaque, & legitima cum orbis Christiani consensu agnosceret, & profiteretur. Cum verò vesana peruicacia, & ambitione non modo Viclefi, iam antedamnati hæretici, errores sed etiam à se repertos tueri, & adfirmare perseveraret, suasque opiniones præ Concilij, & totius Christianitatis auctoritate, & consensu longè anteponeret, patres denique, tradito antiquis more, flammis adiudicauere pridie Nonas Iulij, Sess. x v. exustusque est eodem die extra portam Geltingam, ignibus consumtus, & abiecti in Rhenum cines, ne tantæ impietatis aliquid apud posteros superesset. Decimo sexto Kalend. Augusti celebrata Sessio xvii. Ea in Sessione denique rex Sigismundus coram patribus se in Hispaniam profecturum spondit, quando vnum reliquum erat ab Benedicto & eius sectatoribus Arragoniæ, Castiliæ, Nauarræ regibus, alijs nonnullis principibus impedimentum, ne vltra Concilij decreta procedere possent, misitque continuo qui eosdem Benedicti sectatores ad colloquium Narbonam inuitarent, paucisque diebus ad itineris necessaria sumtis, paucis comitantibus in viam se dedit, quantaque maxime potuit celeritate Narbonam versus tetendit. Dum hæc geruntur hæresin publicè i. x. Octobris Viclefi, & Hussij ciurauit Hieronymus Pragensis, siue Hussij exitium ad meliora adduxerat, aut eo modo custodiam, qua tenebatur, frustraturus. Et in præsens quidem carcere liberatus est, sed cum mox impotentiori superbia, & temeritate, eadē quæ paullo ante damnauerat, repereret, Hussij, & Viclefi dogmata multo arrogantius in vulgus spargeret, & profiteretur, rursus captus, & in arcem Gotliebe coniectus, plures in ea menses absumsit. Conuenerunt Narbonæ Hispanici legati frequenter, sed Benedictum eo impellere, aut adducere non potuerunt, multum licet suaderent, precarenturque qui cum sequebantur. Quare non leuiter offensi, simul Sigismundi præsentia, & auctoritate moti, denique etiam se Constantiensi Concilio moram nō futuro reges omnes, postposito, quem

hactenus



hactenus defendebant, Benedicto sponderunt, Idibus Decembris. Quæ cum Veredo patribus Sigismundus denunciasset, indicta lætitia ingenti, I v. Kalend. Ianuarij insequentis anni frequens omnium ordinum supplicatio, cunctique in magnam spem sunt erecti, haut vanam fore tot antistitum, Doctorum, & principum congregationem. Tertio Kalend. Iunij Sess. xxi. productus tandem post octauum mensem, quam Gottliebenfi carcere tenebatur, coram Concilio Hieronymus Pragensis, multisque, quæ ad domandam eius contumaciam valebant, disputatis, cum non modo abjuramentum antea à se factam vehementer detestaretur, sed Viclefi etiam, & Hussij hæresin multo pertinacius defenderet, patres, vt prius Hussij, ita quoque Hieronymi abolendam flammis arrogantiam, & impietatem, publico edicto, decreuere, perductumque ad eundem locum, eodem die, rogo carnifex imposuit, multa per insanam animi lætitiã, & ex ea morte gloriam jactantem, ferocientemque. Non pauci ab eo tempore Bohemiæ primores in Ecclesiæ gremium, damnata eorum memoria, se recepere; alij cõtra vtrumque Hussium, & Hieronymum inter martyres retulerunt, armaque contra eorum hostes capere. Vnde bella per id regnum atrocia, & diuturna, multis vtrunque cladibus nobilitata. At verò Sigismundus, postquam multis præterea defunctus laboribus, & periculis, frustra in reconciliandis regibus Angliæ, & Franciæ fuit, vt Concilio prosequendo maiorem auctoritatem adportaret, Constantiam accelerauit, eoque vicissimo sexto Ianuarij, anni septimi decimi, ingenti omnium congratulatione aduenit. Multæ quoque contra Benedictum factæ sèssiones, adnitentibus ad huc pro eo Ioannis Castiliæ regis legatis. Denique VII. Kal. Augusti sèssione xxvii. pontificatu patres exuerunt, & ne quis amplius pro pontifice haberet, aut nominaret, vulgatis edictis, statuerunt, simul de nouo pontifice sublegendo consilia iniere. Interea Sigismundus sui ex parte desiderij compos vota DEIPARÆ Matri soluturus ad Heremum Tiguro tetendit, eoque I v. Kalend. Nouembres peruenit. Salutata magna venerati-

A.D. N.

CLV. CD.  
XVI.

A.D. N.

CLV. CD.  
XVII.



one calorū regina, & precibus perfectis, ex Heremo Sui-  
tiam, & inde Lucernam delatus magna celeritate, vt ele-  
ctioni pontificiæ interesset, Constantiam redijt. Ingressi sunt  
ad id fabricatum conclauē, qui aderant, Cardinales, & de-  
lecti è singulis nationibus, v. Idus Nouembris. Hi, com-  
paratis inter se sententijs feria v. D. Martino Turonensium  
episcopo consecrata, Othonem Cardinalem Columnam  
pontificem, concordibus suffragijs pronunciauere, qui eius  
se in Diui memoriam, & venerationem Martinum v. vocari  
voluit. Paucos is intra dies sacris initiatus, & episcopus fa-  
ctus, cum obedientiam ab omnibus, qui aderant regum, &  
principum legatis accepisset, xi. Kalend. Decembris, die  
Dominico in æde Cathedrali, ritu sollenni, & maximo om-  
nium applausu, & festiuitate, triplici corona redimitus est.  
Paucis hinc mensibus finiundis, quæ super erant, consumtis  
& xiiii. Kalend. Mal. anni sequentis, Sessione XLIV. Con-  
cilio Papiam indicto, vndecimo kalend. eiusdem mensis,  
Sessione XLV. & postremo, patribus Martinus abeundi li-  
centiam fecit, Conciliumquè soluit. Quarto postea Nonas  
Mal. intra quintum decimum diem discessum Constantia  
suam pronunciauit. Decimo septimo Kalend. Iunij feria ii.  
post Dominicam Pentecostes tandem Constantia pontifex  
excessit, Schaffhausiamque delatus, & Salodorum, Ber-  
namque, & Friburgum, postremo Geneuam v. Idus Iunij  
peruenit, vbi menses aliquot substitit. Eum reliqui anti-  
stites, principes, legati, alius, alio ad sua quisque secuti. In-  
terfuerunt Concilio Constantiensi Cardinales xxvii. cum  
hominum Comitatu. m. ccxlv. Patriarchæ sex, cum comita-  
tu clxxii. Archiepiscopi xxxix. cum hominibus m. dccxl.  
Episcopi cxc. cum comitatu 3267. Procuratores Archie-  
piscoporū xvi. Episcoporum lxxv. cum comitatu cccc.  
Abbates cxlvii. cum hominibus m. ccxxiii. Procuratores  
abbatum xxxiv. cum hominibus lxxx. præter illos Præpo-  
sitos, Decanos, Doctores, Theologos, Magistros, regum &  
principum totius Christiani orbis legatos. Ceterum do-  
mum reuersus abbas Hugo, multis laboribus exhaustus, va-

letudine

A. D. M.  
CD. CD.  
XVIII.



letudine quoque adflctari cepit cui curandæ vt melius operam dare posset Feficonem ex Monasterio ferecepit. Sed eo quoque modo haut multum recreatus, paucos dies cùm ibidem egiffet, denique abfumptus est x vii. Kal. Nouemb. ingenti fui defiderio relicto. Magnæ enim in eo animi, & corporis virtutes, rara prudentia, & apud Principes præcipua auctoritas. Itaque non modo quæ antecessor Ludouicus per luxum, & vanitatem diffipauerat, parfimonia, modestia, & integritate reparauit, fed in ærario, & fifco haut quoque pecuniæ poenitentiam summam reliquit. Ante omnia diuini cultus, & pietatis, & religionis, monachicæque disciplina curam maximam gessit, eamq; Constantienfi Concilio omnibus palam probauit, vbi fecundum inter abbates Nationis Germanicæ locum tenuit, Majoris Augiæ abbate primas tamen ferente. Instituit diem anniuerfarium feria iii. post Diui Galli memoriæ, & bono omnium antecessorum antiftitum, fundatorum, collegarum, Sacellanorum, peregrinantium, benefactorum, fratrum & sororum fodalitatis DEIPARÆ Matris, eoque ad diuina officia, sacrificiaque peragenda quoscumque presbyteros conuocauit. Quem morem posteri antiftites imitati haut minori frequentia, & pietate, eamdem feria iii. quot annis celebrant, & exfequuntur. Ortus eius ex baronibus à Roseneck antiqua & nobili familia maternum genus trahebat ex baronibus Tengenfib. Sita arx Roseneck in Hegouia. Steinenses cum Tigurinifc incenderunt vltimo bello Sueuico. Possederunt præterea barones Rosenecefes atcem, & Dominium Vartenfelsæ ad Iuraffum haut procul ab pago Hoftorff, thermis falubribus frequentato. Post Hugonis eximij præfulis obitum Collegæ in electionem conuenientes, Burcardum à Crenchinge ex baronibus Vvyffenburgi Lacobrigum, præfidere iufferunt, ea tempestate, apud Sanctum Geroldum Præpositum.

BVR-